



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus

Complectens Octobrem, Novembrem, Decembrem

Nepveu, François

Monachii, 1709

Dies 5. Quàm utilis sit meditatio mortis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60533)

DIES V.

Quàm utilis sit Meditatio Mortis

I.

PER peccatum, inquit Apostolus, mors intravit in mundum. Et cogitatio de morte ex eo pellit peccatū. Peccatum stimulus est mortis; sed mors remedium est adversus peccatum, sicut peccatum est causa mortis; sed mors est ruina & destructio peccati. Sicut venena summè lethifera, si bene præparentur, evadunt remedia; sic mors quantumcunque crudelis esse videatur, salutaris evadit homini, si eam, ut oportet, meditari noverit. Deus primo homini dicebat: si peccaveris, morieris. Et hodie omnibus dicit: si cogitaveritis, vos morituros, ampliùs non peccabitis. O mors, quàm funesta es, si tui obliviscamur! O mors, quàm utilis es, si tui recordemur? & nilominus plerique hominum studium, & felicitatem suam in eo ponunt, ut mortis obliviscantur: sed proh dolor! ea propterea nostri nō obliviscitur. Difficile ipsa

● October.

accidit, de morte cogitare; & tamen non nisi de ea cogitando evitatur id, quod solum mortem reddit terribilem, nempe pœna æterna, quæ eam sequitur, si de ea non cogitatur.

II. Quid melius reprimere potest vanitatem, & arrogantiam in aliqua fœmina, venustatis suæ idololatra, quàm cogitare, hoc corpus, quod ipsa idolum suum constituit, olim vermium fore pabulum, horrore scopum ijs ipsis, qui illud adorârunt, & forsan ignium æternorum prædam, si ipsa immoderatum hunc amorem, quo corpus suum deperit, non moderetur, neque de perversitate hac per pœnitentiam expianda cogitet. Forcne ea tantopere mundo addicta, si meminisset, se, etsi mundus ob suam inconstantiam, sibi que innatam perfidiam, eam deserturus non esset, cogendam brevi illum deserere, & ab eo per mortem æternum separandam? num voluptatibus tantopere inhiaret, si cogitaret, lætas cantiones, ut Scriptura loquitur, in lamentationes, & ploratus converte-
 das, sceleratas hæc voluptates non nisi momentum duraturas, atque hisce delicijs momento citius successuram pœnitentiam, & perenne tormentum? possérne homo bonis suis tantopere affici, ea tam a-
 vidè

*Convertam
cantica ve-
stra in plan-
ctum.
Amos. 8.
v. 10.*

vidè congerere, cum tanta iniustitia reti-
nere, si cogitaret, mortem intra paucas
fortasse dies omnia bona sibi erepturam,
sibi que dictum iri: *quæ parasti, cujus erunt?* *Luc. 12. 20.*
cuj hæc bona relinques? ingratis; qui in-
iustitiæ non minùs, quàm divitiarum hæ-
redes, & olim infelicitatis tuæ semper e-
runt consortes.

III. Ad hominem convertendum, &
vehementiam cupiditatum ejus prorsus
perversarum inhibendam plus non est ne-
cessarium, quàm ut ducatur ad tumulum,
eique dicatur: *veni, & vide.* Vide hunc
acervum putredinis, & pulveris, vide re-
liquias hujus divitis, hujus in mundo feli-
cis, hujus hominis voluptatibus immer-
si, istius herois, magni istius Regis. Veni,
& vide, quò desinant omnia illa vasta con-
silia, omnia illa ambitiosa proposita, o-
mnis hujus Monarchæ Majestas. Uni-
versus terrarum orbis ipsius ambitioni vix
sufficiebat; & jam hoc tumulo compre-
henditur. Vide, ubi terminentur omnes
illæ voluptates, quarum amore salutem,
& æternitatem suam in discrimen multi
conijciunt. Veni, & vide. Illi fuere ta-
les, qualis tu es, imò & majores; & tu
brevis eris, quod ipsi sunt, nempe modi-
cum cineris.

B

Si

October.

Si talia errorem tibi non eximunt, si non faciunt, ut mundi vanitatem sentias, si te ab illo, simulque à peccato non deterrent, vel cæcus, vel insanus sis, necesse est.

O mors, quàm bonum est tuum iudicium! Eccli. 41. 3.

Nihil enim sic homines revocat à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio. Aug.

DIES VI.

De Iudicio.

De sententia iudicis in gratiam Electorum.

I.

Matth 25.
34.

Venite, dicet Christus Electis, *Benedicti Patris mei: possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* Venite, non amplius crucem post me portaturi, sed mecum regnaturi, non amplius vobismetipsis renuntiaturi, & voluptatibus, sed mecum gavisuri omnibus delicijs, quas benignitas mea vobis parat, sed testes, & consortes gloriæ meæ futuri. Venite è loco exilij vestri, patriam vestram ingressuri. Venite è terra, loco illo miseriarum, & lachry-